

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2054

Auteur(s) : Richard de Louviers [particulier]

Bénéficiaire(s) : Thibaud d'Amiens, Rouen (archevêque)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1223, novembre

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Richard de Louviers, du consentement de Tecie, sa femme, vend à Thibaut, archevêque de Rouen, soixante-six livres dix sols tournois de rente annuelle sur des mesures à Louviers, près de la prison de l'archevêque.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CXLIII, p. 182-183.

Texte établi d'après a

Universis sancte matris Ecclesie filiis ad quos presens scriptum pervenerit, Ricardus de Loviers, salutem in Domino.

Noverit universitas vestra quod ego, assensu et voluntate Tecie, uxoris mee, vendidi et omnino reliqui venerabili patri et domino meo Theobaldo, Dei gratia, Rothomagensi archiepiscopo, pro sexaginta sex libris et decem solidis turonensium quas michi dedit, omnes illas masuras cum muris quas habebam apud Loviers, sitas juxta domum carceris dicti archiepiscopi, sicut se porportant cum muris in longitudine et latitudine, ante et retro, cum exitu quem tenebam de Thoma de Loviers predictis masuris adjacente ; tenendas et habendas eidem domino archiepiscopo vel cuicumque eas dare voluerit, libere et quiete, et absolute.

Licet siquidem prefato domino archiepiscopo vel cui dictas terras dederit de predictis tenementis facere omnem voluntatem suam sicut de suo proprio. Et ego Ricardus de Loviers teneor omnes predictas masuras cum exitu prenominato domino archiepiscopo, vel quicumque illas donaverit, pro me et pro heredibus meis garantizare contra omnes gentes et ab omnibus serviciis et redditibus acquietare.

Ego etiam et prefata Lecia, uxor mea, tactis sacrosanctis Evangeliiis, juravimus predictam conventionem in omnibus firmiter tenendam et fideliter observandam.

Et ut hoc perpetuam futuris temporibus optineat firmitatem, presentem cartam sigilli nostri munimine roboravi.

Actum fuit hoc anno gracie, M° CC° XXIIJ°, mense novembri.

Testibus hiis : dominis Waltero, thesaurario ; Roberto, cantore ; Johanne de Roya, archidiacono ; Johanne de Sancto Ermelando, magistris Gilleberto de Marleys, Alano Britone et Rogero Cavoart, canonicis Rothomagensibus, et aliis pluribus clericis et laicis.